

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Peri tou protou kai tou eschatou Adam, ad locum 1
Corinth. XV, 44-50**

Programma ... feriis memoriae Christi ex mortuis rediuiui sacris

**Hartungsche Buchhandlung Hartungsche Buchhandlung
Regiomonti, MDCCXCVIII**

urn:nbn:de:gbv:45:1-9292

(50^b)

π ερι

τε περτε και τε εσχατε αδαμ
ad locum i Corinth. XV, 44-50.

Programma II,

feriis
memoriae
Christi ex mortuis rediuiui
facris,

Rectore, Cancellario atque Directore
et Senatu, Academiae Regiomont.
Ciuibus exhibitum.

Anno

MDCCXCVIII.




*Regiomonti,
Litteris Hartungianis.*



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg



Recordemini, *Cives*, nos in priori Programmatis parte hoc primuna egisse, ut, peracta textus authentici emendatione critica, vnicam illam hucusque cognitam, doctissimisque omnibus omnium aetatum interpretibus probatam explicationem τὸ περιττὸν atque τὸ ἐσχατὸν (s. *deuteres*) ἀδαμ, quae illo vocabulo Adamum generis humani auctorem, hoc vero *Christum* eiusque post resurrectionem *corpus gloriosum* significari contendit, prorsus omnino, at profecto non temere, repudiaremus. Postquam autem id satis ibi factum transactumque putamus, iam nostrarum videtur esse partium, ut proprius ad summam rei paulatim acedamus, nimirum ut nunc sedulo cogitemus de alia interpretatione, quam in locum repudiatae censeamus reponendam.

Omne autem periculum haec verba cum successu interpretandi, irrito semper abibit conatu, nisi antea de eo, de quo nos supra quidem nonnulla, sed leviter tantum monuimus, hic aliquid certi decernatur: an omnia Mosi citato, vel an ex parte Paulo citanti haec verba adscribenda sint? num totum illud argumentum, quo utitur Apostolus pro stabilienda veritate sententiae suae, "quod detur et corpus Ψυχικὸν et corpus πνευματικὸν", ex sola historia creationis, vel ex parte aliunde desumptum atque, ut aiunt, a Paulo ipso *de suo additum* sit? Quodsi enim prius locum habet; uterque ἀδαμ, et ὁ περιττός et ὁ ἐσχατός, ex sola Mosis narratione explicandus est; si posterius, solus ὁ περιττός apud Mosen, ὁ ἐσχατός autem ἀδαμ alibi quaerendus est. Atqui, sepositis aliis omnibus, haec quidem in primis componenda sunt: quibus tandem perfectis, certo speramus, fore, ut ipso exitu nostrae indagationis, quicunque sit, de vestigiis edoceamur, quibus in sequendis ad veram verborum interpretationem perducamur.



Quaeritur nunc ergo: num utrumque comma, quod formulam allegandi "οὐτῷ καὶ γεγράπται" sequitur, nimirum et prius illud "ἔγενετο ὁ πρωτός ἀδαμ εἰς ψυχὴν ζωσαν", atque etiam posterius, "ὁ ἐσχάτος ἀδαμ εἰς πνεῦμα ζωποιεύν", vel an prius tantum, "εγεν. ὁ πρ. ἀδ. εἰς ψυχ. ζωσαν", solum et vnicē e loco citato sit allegatum, posterius autem, vt opinantur omnes, ab ipso *Paulo* sit additum *de suo?* Atque nos quidem iam *antea P.* *Ima Progr.* p. 10. seq. non sine caussa idonea contendimus, ista verba utriusque commatis pro ita coniunctis esse habenda, vt absque vi et iniuria prorsus non possint diuelli, cum nullum omnino indicium indagari queat, ex quo appareat, quod illa Apostoli sententiae suae probatio, quam ex Mosaica creationis historia petit, quamque per formulam illam allegandi "οὐτῷ καὶ γεγράπται" expresse indicat, in solis verbis commatis prioris "ἔγενετο ὁ πρ. ἀδ. εἰς ψυχ. ζωσαν" iamiam exeat et pro transacta iudicanda sit; quum potius comma illud posterius "ὁ ἐσχάτος ἀδαμ εἰς πνεῦμα ζωποιεύν" cum illo commate priori per verbum regens "ἔγενετο" arctissime coniunctum sit; e. s. p. Non desunt autem praeter haec olim iam dicta etiam plura adhuc dicenda, quae, cum ex ipso orationis contextu, nec non ex ipsius scriptoris consilio repetantur, ad litem omnem dirimendam vel maxime iuuabunt totamque rem facile expedient. Nimirum praemissis ab Apostolo, ad concipiendum resurgendi a mortuis modum, variis exemplis e contemplatione rerum vniuersae naturae petitis, exorsus erat ille nouam docendi methodum hanc, vt ponat tandem sine ambagibus sequentem sententiam: "dari etiam, vt in caeteris rebus creatis, quod nemo nunc miretur, in ipsa quoque *hominis* natura et *ψυχικὸν* corpus quoddam, et corpus itidem *πνευματικὸν*: quemadmodum enim in grano tritici, vel alterius cuiusdam speciei grano, incluserit creator omnipotens in prima olim rerum omnium creatione futurae plantae exinde oriundae corpus, quod vero, antequam enascatur, oculis non possit conspici; sic inclusisse etiam eundem creatorem, in eodem primae creationis actu, eademque divina vi atque potentia, in corpore *ψυχικῷ* hominis creati, aliud corpus quoddam *πνευματικόν*, quod non magis in sensu incurrat, quam illud stamen invisi-



inuisibile in semine plantarum: hoc enim ipsum utique intelligi ex eo, quod etiam de *hominis* creatione apud Mosen relatum existet; sic enim ibi scriptum legi: "έγενετο ὁ πρωτος ἀδαμ εἰς ψυχην ζωσαν, ὁ ἐπιχατος δε ἔγενετο εἰς πνευμα ζωοποιεν". En! vides, Lector, ex hac ratione sequentia coniungendi cum praecedentibus, consilium Apostoli, locum probantem pro veritate sententiae suae diserte citantis, nullum profecto esse posse aliud, nisi, ut ex loco illo Mosaico, per formulam allegandi "ὅτω και γεγράπται" expresse excitato, rite probet integrum suam utroque commate constantem sententiam, nempe, non solum illam commatis prioris "εἰς σωμα ψυχικον", sed etiam hanc posterioris commatis, "και εἰς σωμα πνευματικον": haec enim erat gemina illa enumeratio, quam probandam sibi sumferat. Visne tu dicere: tantum priorem? imino vero et posteriorem? quid? posteriorem vel maxime? Quidnam enim, amabo, probasset tandem Apostolus ex loco allegato, si tantum verba priora, "έγενετο ὁ πρωτος ἀδαμ εἰς ψυχην ζωσαν", ex historia creationis allegaslet? quid amplius, nisi hoc solum, quod factus sit homo *in animam viuentem*, h. c. quod fecerit creator, ut terrea ista statua, quam fixerat e terrae puluere, nunc etiam *animata* viueret? et quid porro exinde colligendum fuisset amplius, nisi solum hoc, quod hominis corpus terrestre reuera et indubie sit *σωμα ψυχικον*? quis vero *umquam de hocce hominis corpore ψυχικω* dubitauerat? quis mouerat quaestionem de veritate existentiae *huius corporis ψυχικου*, ita, ut ex re sua putare potuisset Apostolus, veritatem indubitatae existentiae in primis *huius corporis terrestris* ex testimonio historiae creationis probare? Nonne potius quaerebatur potissimum de corpore *πνευματικω*? Si igitur quidquam *umquam probandum videbatur*, nonne sola corporis *huius πνευματικου* creatio omnino erat probanda? Atqui, si pergas tamen contendere, Apostolum *priora* tantum verba voluisse allegare, profecto aut concedendum tibi eslet, illum, quod absit dicere, sine ullo consilio rem egisse operamque omnem perdidisse in allegando loco probante pro veritate aliqua nulla probatione egente; aut mox videbis te ad *incitas redactum* ita, ut coactus sis fateri, esse hoc comma posterius,



(*οὐ εἰσχάρτος ἀδαμ εἰς πνεύμα ζωοποιεῖν*,) haud minus allegatae orationis partem indubiam, quam illud prius (*οὐ πεφτός ἀδαμ εἰς ψυχὴν ζωσαῖν*); immo, posterius esse allegationis partem vel maxime praecipuam, cui soli vis ad probandam ex historia existentiam τρισσαμάτων πνευματικῶν inesse possit et reuera insit,

"Attamen vero, inquis, haec verba "*οὐ εἰσχάρτος ἀδαμ εἰς πνεύμα ζωοποιεῖν*", quae ex historia creationis citata dicuntur, apud Mosen prorius non leguntur! Sic est omnino, si de solis verbis haec dicas; verum, non ita est, si de arguento et summa horum verborum haec contenderes. Admodum enim aberrares a vero, si putare velis, ea omnia, quae in locis ex V. F. excitatis ibi non inueniuntur verbo tenuis, propterea ad ista loca excitata prorsus non esse referenda. Solent enim frequenter omnes Hebraeorum doctores profani, itidemque N. F. Scriptores, ex locis in rem suam allegatis, etiamsi ad integrum versiculum, vel adeo ad plures etiam versiculos respiciant, pauca tantum istius versiculi aut segmenti verba quae ibi exstant laudare, caetera autem περιφρασικῶς exponere, eaque ad efficaciorem rei proponendae demonstrationem non ipsis allegati scriptoris, sed *suis* potius exprimere verbis. (*) Atque non aliter res se habet in praesenti loco nostro. Etsi enim omnino ipsis quidem suis, non Mosis, *verbis* vtatur Apostolus; satis tamen, ut speramus, ex iis, quae paulo ante de contextu orationis et de consilio scriptoris diximus, intelligitur, *rem ipsam* et cogitationum suarum suique argumenti summam, ex loco allegato petuisse eum oportere; alias enim ex Mose suo, ad quem nos ablegauerat, pro re sua nihil attulisset, nihil que

(*) Consulas librum, si tibi praesto est, in hoc genere facile primarium, sed valde rarum, Guil. Surenhusii, cui titulus est: *ספר חמשוֹת, siue Βίβλος καταλλαγῶν*, in quo secundum veterum Theologorum Hebraeorum formulas allegandi et modos interpretandi conciliantur loca V. in N. T. allegata. Amstel. 1713. Inprimis cfr. in rem nostram, ex Libr. II. Thes. VIII–XII. p. 47–50.



que probasset. Praeterea, non est profecto, quod admodum alia illa verba, quibus usus est Apostolus in commitate posteriori ad sensum loci allegati exprimendum, locumque ipsum suis verbis in proprium usum converterendum, multis urgeas. Nam, si tamen velis hac quidem sola de causa, dubitare de allegatione posterioris huius commatis, quoniam haec pars orationis non iisdem verbis apud Mosen legatur; eodem fere iure eademque iniuria dubitandum tibi esset de allegatione prioris commatis, "έγενετο ὁ πρωτός ἀδαμ εἰς Φυχὴν ζωσαν": etenim ne haec quidem pars citati loci iisdem totidemque verbis apud Mosen legitur. Atque ut testem habeas in hac re praesentissimum, integrum locum ex Genes. II, v. 7. excitatum, quemadmodum se habet in versione LXX Interpret., (secundum quam, ut fere semper, citat Paulus.) huc transcribemus. Exstant ibi verba quae sequuntur: "καὶ ἐπλάσεν ὁ Θεὸς τὸν αὐτῷ ρωπὸν, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς καὶ ἐνεφυσησεν εἰς τὸ πρωτόπονον αὐτῷ πνοὴν ζωῆς καὶ ἐγενέτο ὁ αὐτῷ ρωπὸς εἰς Φυχὴν ζωσαν." Haec verba Mosis, si cum nostris a Paulo in commitate priori citatis, "έγενετο ὁ πρῶτος ἀδαμ εἰς Φυχὴν ζωσαν", accurate contulerimus, manifeste nos docent, Paulum non tam verba, quam sensum potius loci citati, ex sua interpretatione allegorica intellecti, in allegatione respexisse. Primo enim videmus, illum ex integro loco Mosaico, praeter quatuor illa vocabula, "έγενετο εἰς Φυχὴν ζωσαν", plura huc non transtulisse; porro anitaduertimus, eum duo illa vocabula, "ὁ πρωτός", quae apud Mosen non exstant, ad commodiorem sensum ex iis eliciendum, verbis a se allegatis inseruisse; et tertio intelligimus, Apostolum nostrum graecam vocem "ἀνθρώπος", qua vtuntur LXX Interpret., hebraica voce "אָדָם", profecto non temere, permutasse. Sic vero in sensus facile incurrit, voluisse eum non tam verba Mosis transcribere, quam rem tantum ex historia creationis repetere, hancque solam in usum suum convertere. Vides igitur, aut integrum allegationem (quod tamen absurdum est dicere) mala suspicione premi, quod falso sit excitata, cum nec prius nec posterius comma iisdem verbis apud Mosen exstet; aut nihil impedire, quo minus utrumque, quod rem sensumque narrationis attinet,



net, ex Mose laudatum credamus, quamvis nec in priori nec in posteriori
comitate eadem *verba* apud Mosen exhibeantur.

Ablatis itaque amotisque tandem quae adhuc auferenda amouen-
daque erant, nec non confirmatis, ut opinamur, omnibus quae confir-
mada erant, nunc demum liberior patet aditus ad cognoscendam veram
notionem τὸς περὶ τὸς ἐσχάτῳ ἀδαμ, quam Paulo auctore in ani-
mo effingere debemus. Nam nobiscum nunc, si quid videmus, fatearis
sumusque necesse est, Apostolum adferre argumentum suum pro veritate
existentiae et τὸς Ψυχῆς et τὸς πνευματικῆς corporis, totum et vnicē
ex historia primae creationis Adami, quae apud Mosen loco citato narra-
tur, quamque Apostolus, ad sui consilii reique suae vsum compositam,
summatis, libere, atque suis potius quam Mosis verbis allegat. Atqui,
si res ita se habet, sequitur, ut, cum in illa creationis historia, et in
primis in illo loco Mosaico, ad quem nos ablegat Apostolus, primo ad-
spectu sermo non videatur esse de creatione plurium sed vnius tantum
Adami, Paulus tamen omnino duorum ἀδαμ expresse mentionem facit,
causa differentiae huius nulla possit esse alia, nisi, quod Apostolus in illo,
vno Adamo Mosaico duos Adamos dignouerit sibique mente sua conce-
perit. Et, profecto, sic est; atque etiam iure suo facere hoc poterat.
Amant enim scriptores hebraici fere omnes, nec non hebraisantes, et
inter illos praecepit Paulus noster, vocabulo et nomine appellatiuo ἀδαμ
ex allegorica loquendi ratione, et cum allusione quadam ad priuum
illum hominem אָדָם vocatum, varie vti. Loquuntur enim illi, (ut
ipsum Paulum nunc quidem taceamus), frequenter de *externo* et de *in-
terno* ἀδαμ, de *primo* et de *secundo* ἀδαμ, de *coelesti* et de *terrestri*,
de spirituali et de *corporeo* ἀδαμ (*) e. s. p. Quisquis autem facile in-
telligit,

(*) E' multis liceat vnum subiicere exemplum, quod praे aliis nostræ rel-
potest prodesse. In Ialkut Rubeni fol. 126, 3. occurunt eadem fere
verba quae habet Paulus noster in loco nostro de quo quaeritur; sunt
enim haec: "Qantur diuersa genera hominum: est homo spiritualis
et est quoque homo corporeus."



9

telligit, in his modis loquendi omnibus vocem *ἀδαμ* non semper significare primum illum hominum parentem, nec integrum personam hominis istius primi, nec ullum aliud eiusdem hominis individuum seu personam; sed potius vel hominis eiusdem unam alteramque partem essentialē, sive corpus sive animam; vel etiam animum, sensos, mores humanos. Distinguunt etiam illi scriptores inter *ἀδαμ* *fictum* et *ἀδαμ* *formatum s. creatum*; et nituntur argumentis, nominatim petitis ex illa Mosis narratione, quae agit de modo quo creavit Deus hominem. Ut taceamus scriptores Iudeorum Cabballisticos, Talmudicos, Targumisticos, Rabbinicos, qui mira narrant (*) de Adamo primo et secundo, coelesti et terrestri, facto atque formato, spirituali et corporeo; duo potius loca adferre lubet ex Iosepho et Philone, qui scriptores eiusdem fere aetatis sunt cum Paulo nostro, quique eadem fere vtuntur ratione scribendi et allegorizandi cum illo. Iosephus quidem in Antiquitat. Iudaic. Libr. I. c. 2, sic scribit: καὶ δὴ καὶ Φυσιολογεῖν Μωϋσῆς μετὰ την εἰδόμην ἡρξατο περε της τὸν αὐθέωπτὸν κατασκευῆς, λεγων ἐνταὼς: ἐπλάσεν ὁ Θεός τον αὐθέωπτον, χουν λαβῶν ἀπὸ της γῆς. καὶ πνευμα ἐν γη καὶ αὐτῷ, καὶ Ψυχὴν ὁ δὲ αὐθέωπτος ἐτος. ἀδαμος ἐνληθη. h. e. Quin etiam naturam rerum interpretari post septimam diem Moyses incepit de hominis fabricatione in hunc modum differens: finxit Deus hominem humo telluris sumta, immisitque in eum (*hominem*) et spiritum et animam: homo autem hic (quatenus ex parte factus erat, et in quem postea immiserat Deus spiritum et animam) vocatus est *Adamus*.⁴⁴ Obserues, Iosephum adscribere h. l. Mosi τῷ Φυσιολογεῖν, h. e., dicere eum, quod Moses h. l. id agat, ut de rebus naturae, in Φυσιῳ earum inquirens, differat; noli igitur putare, quae in hoc loco citato Iosephi (simili fere ratione ut in loco Paulino,) quoad verba aliter legun-

L (*) Qui oblectantur eiusmodi commentis, adeant in primis Schöttgenii Hor. Hebr. et Talm. p. 670, seqq. it. Eisenmengeri Entdecktes Judenthum, Th. I. p. 364—370.



leguntur quam apud Mosen exstant, ea casu aut ex incuria verborum mutata esse; appareat potius, Iosephum quasi circumscribere et interpretari Mosen illum qui Φυσιολογεῖ. Et quomodo nunc Iosephus Mosis narrationem indicit? "περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς, inquit, λέγει ὅντως" i. e. de fabricatione hominis in hunc modum differit: "ἡ κατασκευὴ fere semper de opificio s. structura, quae fit manibus, usurpatur; ergo ἡ κατασκευὴ τοῦ ἀνθρώπου h. l. nihil aliud est, nisi fabricatio hominis externi et merè terreni. Quomodo autem Mosen ipsum loquentem inducit? "ἐπλάσεν (i. e. manibus quasi fixit) ὁ Θεὸς τον ἀνθρώπον". Vide, quisnam intelligatur his verbis per τον ἀνθρώπον; nonne solum eius *corpus* externum, sola machina externa? atque, ne dubitare possis, de quoniam *hominem* loquatur Iosephus, ipse declarat, dum addit: "χαυν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς". Quia igitur hoc vnicē de *corpore* hominis intelligi potest; patet ex eo, vocem ἀνθρώπου de solo hominis *corpore* hic dici. Et quid porro factum est? "ἀντρῷ (i. e. in hunc *hominem*, vel potius *in hoc corpus*, in hanc *machinam* mere terrenam) ἐνηκεν πνευμα i. e. immisit, collocavit quasi in hunc *hominem* spiritus substantiam, καὶ ψυχὴν i. e. et addidit vitam animalem. Nunc vero pergit: "ὁ δὲ ἀνθρώπος ὁ τος (nimirum illa *machina corporis*, postquam immiserat Deus in eam spiritum et vitam animalem,) ἀδαμος ἐκληθῇ". Quis, quæsto, non videt, Iosephum haud dubitare, merum hominis *corpus* in prioribus verbis "τον ἀνθρώπον" vocare, et eum expresse distinguere ab eo *hominem*, qui postea ἀδαμος ἐκληθῇ? Sed satis de Iosepho; liceat etiam insignem locum ex Philonis libro "Νόμων ιερῶν ἀλλεγογίαι", verum, ut spatio parcamus, modo ad translationem latinam hic transcribere, quae in edit. Pfeiffer. Vol. I. p. 139. haec est: "Et fixit Deus hominem puluere de terra sumto, et inspirauit in faciem eius spiritum vitae: et factus est homo in animam viuentem". Duplex hominum genus: alter est coelestis, alter terrestris; coelestis igitur, utpote ad imaginem Dei factus, expers corruptibilis et in totum terrene essentiae; terrestris vero, e sparsa materia, quam puluerem (Moses) vocat, compactus est. Ideo coelestem non factum dicit,



dicit, sed formatum ad imaginem; terrestre vero figmen-
tum, non prolem esse artificis. Caeterum homo terreus accipiens est
animus in corpus immittendus, sed nondum ei concretus: is terrenus
revera est et corruptibilis, nisi quod Deus inspirauit illi vim verae vitae:
ac tum demum fit iam, non amplius singitur, in animam illamque
non otiosam et informem, sed intelligentem vereque viuentem: ait enim
(Moses.) in animam viuentem factus est homo“. Plura facile adferri
possent loca, si opus esset, similia ex eodem Philone, (e. g. de opificio
mundi, Vol. I. p. 90—93.,) in quibus varia ab ipso vario modo (ut
hoc verbo utramur) allegorizantur de duobus Adamis. Erant autem Paulo
noster, ut bene sciunt viri docti, multa cum Philone Iudeo communia,
quae ad typicam et allegoricam rationem pertinebant (*), et quae ex Ga-
malielis aliorumque Iudaicorum doctorum disciplina hauserat et cum de-
lectu decerpserat. Quid mirum igitur, si etiam hic noster Apostolus in
sua accommodatione narrationis Mosaicae de modo quo usus erat Deus
in creando Adamo, ea quae sibi videntur utilia, in rem suam vertat,
atque illarum duarum partium essentialium hominis, nempe corporis et
animaee rationalis, singulam quamque partem denominatione *αδαμ*
signet? Nec aliud quidquam est, quod facit. Caveas enim tibi amplius
persuaderi patiaris, vocem *αδαμ*, (quod quidem hucusque omnibus
videbatur, qui hunc locum interpretati sunt,) in disiunctis illis enuncia-
tionibus “*ο πρωτος atque ο εισχατος*“ (s. *deutegos*) *αδαμ* esse tale nomen

B 2

propri-

(*) Cfr. b. Ernesti Opusc. Philol. et Crit. p. 291. ”Quae Paulus habet in
Epistola ad Hebreos ad typicam et allegoricam rationem pertinen-
tia, ea, et si non dixerim omnia, e Gamalielis aliorumque Iudaico-
rum doctorum disciplina hausta esse, et cum delectu decerpta; ta-
men quaedam inde primum cognita fuisse viro diuino, videtur col-
ligi posse ex iis, quas habet cum Philone Iudeo communia, dudum
illa obseruata viris doctis. Nam Philonem a Paulo lectum esse, quod
nonnullis placet nec incredibile videtur Wetstenio, N. T. T. II. p.
384, atque communia illa e Philone ducta, multis de causis pro-
babile non videtur.“



proprium, quod in formula priori significet primum illum generis humani parentem, nomine Adamum, et in altera, per allusionem et similitudinem cum illo priori, salutis generis humani auctorem, qui vocatur Christus. Etenim de hoc posteriori (*έσχατως ο δευτέρης*) *ἀδαμ* satis iam loquuti sumus in prima sectione Programmatis nostri; et, nisi prorsus fallimur, satis etiam ibi demonstrauimus, *Christum* hic nullo modo posse intelligi. Atqui vero, si in disiuncta hac enunciatione cessat hic alter Adamus, nempe Christus; cessat etiam in eadem Adamus ille prior, nempe individuum illud seu persona illa auctoris generis humani nomine Adamus. Quamvis enim in contextu orationis Paulinae, ut saepe iam diximus, sermo sit de creatione cuiusdam *hominis* (*ἀδαμ*) primi, nec non argumentum pro veritate existentias et corporis *Ψυχῆς* et corporis *κνευματίνης* omnino repetatur ex illa ratione, qua Deus in historia Mosis dicitur formasse hominem; attamen vocabulum *ἀδαμ* in hac allegatione, seu in hoc sermone Paulino, non est nomen *proprium* illius hominis primi *iamiam creati* et *Adami* nomine proprio vocati; sed est nomen *appellativum* hominis tunc adhuc *creandi* ("ἐγενέτο", i. e. ortus est *ἀδαμ*, es entstand der Mensch,) et significat simpliciter *hominem*. Id quod ex eo etiam intelligitur, quum in sequentibus segmenti nostri versiculis vocabulum hebraicum *אָדָם* permutatur vocabulo graeco *ἀνθρώπος*: quem enim antea vocauerat Apostolus *τὸν πρωτόν* *ἀδαμ*, tandem vocat postea *τὸν πρωτόν* *ἀνθρώπον*; et qui antea est *ὁ ἔσχατος αδαμ*, vocatur postea *ὁ δευτέρος ἀνθρώπος*.

Hisce tandem omnibus in unum collatis, videamus nunc quid inde conficiatur. Nempe hoc vult Apostolus (*) et in praecedentibus et in sequentibus versiculis, ut probet, doctrinam de resurrectione mortuorum non modo non esse incredibilem, sed veritatem eius posse potius ex variis argu-

(*) Cfr. Progr. I. p. 9. seq. ubi iam plura de hoc consilio Apostoli, nec non de serie orationis et ratione probandi quam ille sequitur, dicta reperiuntur.



argumentis colligi, ipsamque resurrectionem utique sperari. Argumentatur autem, (utimur verbis nostris ex Progr. I.) vers. 35—43. fere sic pari ratione quemadmodum auctor naturae in prima iamiam terum omnium creatione in grano et semine tritici, aut alterius cuiusdam speciei grano seu semine, plantam exinde oriundam voluerit esse inclusam; sic facile potuerit etiam in corpore *ψυχικῷ* hominis creati includere corpus *πνευματικὸν* exinde oriundum. His dictis transit Apostolus initio segmenti nostri, vers. 44, per sententiam illam "ἐστι σῶμα *ψυχικὸν*, καὶ ἐστι σῶμα *πνευματικὸν*", ad argumentum nouum e bibliis, veruntamen ita, ut rationem probandi inceptam, de concreato corpore *πνευματικῷ* cum corpore *ψυχικῷ*, re ipsa continuet. Nimirum contendit in sequentibus, eandem rem prope non aliter, quam in grano et semine plantarum, se habere etiam in ipso homine: nam esse etiam in hoc sicuti in illo *σῶμα ψυχικὸν* atque *σῶμα πνευματικὸν*, et id quidem ipsa historia creationis teste; sic enim ibi scriptum legi: "factum esse priorem hominem animam vivum, posteriorem hominem spiritum animatum". Haec citata ab Apostolo verba ex Mose si consers, Lector beneuole, cum narratione creationis hominis ipsa quemadmodum apud Mosen legitur, et ad quam prouocat Paulus; profecto haud difficile est, intelligere, quis iste sit Pauli nostri ὁ πρωτος atque ὁ ἑσχάτος ἄδαμ secundum Mosen. Nempe Pauli ὁ πρωτος ἄδαμ qui ἐγένετο εἰς *ψυχὴν ζωσαν*, aperte idem est ac ille apud Mosen ἀνθρώπος, ὁ ἐπλασεν ὁ Θεος, *Χούν από της γῆς*, et qui, postquam Deus ἐνέψυσεν εἰς το πρωτοποντον ἀντε πνοην ζωῆς, factus est εἰς *ψυχὴν ζωσαν*: porro autem, qui apud Paulum est ὁ ἑσχάτος s. *δευτερος ἄδαμ*, aperte idem ille est, quem vocat et describit Moses tamquam illam *πνοην ζωῆς* quam ἐνέψυσεν ὁ Θεος εἰς πρωτοποντον prioris illius ἄδαμ, quem fixerat antea Deus *χούν από της γῆς*. Atque, si adeo contendere velis, (quod tamen ex criticis rationibus, Progr. I. p. 7. seq. allatis, vix timendum videtur,) lectionem supra a nobis rejectam "ὁ κυριος ἐξ ἥγενες" retineri oportere; hanc ipsam tibi dare et concedere possemus. Quis enim aliis esset hic κυριος ἐξ ἥγενες, quam ille *ανθρώπος*

B 3

εξ



εἰς ἡρας, illa πνοη̄ ζωη̄ quam ἐνέψυσηεν ὁ Θεος εἰς πρωτο-
πον ταὶ αὐθεωπαὶ f. machinæ ex puluere terræ formatae, ille spiritus (*)
viuificus (πνευμα quod ζωοποιει), qui non εἰς γη̄, sed potius
αναθεν, εἰς ἡρας, e coelo, a Deo ipso, spiritus e spiritu, originem
suam trahit, et hominem terrestrem seu machinam e puluere terræ for-
matam, viuificat, regit, dominat. *Hic homo (πνευμα quod ζωοποιει,*
spiritus vitam largiens) ἐγενετο ἐσχατος ἀδαμ; nam, ad Mosis nar-
rationem, ἐνέψυσηεν ὁ Θεος την πνοην tum demum εἰς πρωτοπον
hominis iamiam e puluere terræ formati, qui *terreus* igitur homo prior
(πρωτος) adfuit, et erat iam formatus. Sic etiam sermonis Paulini
proxime sequentis ordo procedit facilis, qui ita pergit: "ἀλλ' ἡ πρωτον
το πνευματικον (σωμα)", h. e. non autem spirituale illud corpus της
πνοης primum fuit quod existere incepit, siquidem Deus inspirauit την
πνοην tum demum, quum iam formauisset το ψυχικον (σωμα): "ἀλλα
το ψυχικον, ἐπειτα το πνευματικον (σωμα)"; h. e. sed animale cor-
pus (machina hominis terrea,) primum fuit quod existere incepit, de-
inde vero spirituale corpus της πνοης incepit demum existere, quum Deus
inspirauerit illud πνευματικον in machinam hominis terrei iam existentem.
"Ο πρωτος αὐθεωπος, ἐκ γης χοίκος", h. e. machina illa terrestris,
primum formata, terrena est e terra; "ο δευτερος αὐθεωπος, εἰς ἡρα-
ς (**), h. e. spiritus autem s. substantia illa spiritualis, non e terra sed
de coelo originem suam habet." — Hac itaque ratione, hisque φιλο-

σοφy-

(*) Misere fatigantur interpretes vario conatu vocem ζωοποιει explicandi de Christo. Haud mirum! nam Paulus certe hoc loco de Christo ne cogitauit quidem.

(**) Aut, si manis, legas etiam "ο πρωτος οἱ ἡρας". In re ipsa nihil vel haec vel illa lectione mutatur.



ποφύμενοις & ἀλλεγορεύμενοις Apostolus probauit id, quod per formulam
 "ὅτῳ καὶ γεγάπται" ex historia creationis Mosaica probandum sibi
 sumferat, nempe: etiam in homine εἰς σῶμα ψυχικὸν, καὶ εἴς
 σῶμα πνευματικὸν simili quadam ratione, ut in grano et semine (ἐν σω-
 ματι ψυχικῷ) tritici, sicutem quoddam inuisibile (σῶμα πνευματικὸν)
 plantae exinde oriundae: nam "έγενετο ὁ πρώτος ἄδαν εἰς ψυχὴν ζωτανόν,
 ὁ ἐσχάτος ἄδαν εἰς πνεῦμα ζωοποίην" h. e. facta est primo machina
 terrestris hominis, quae vitam animalem tum demum accepit, quum
 factus et inspiratus esset spiritus, qui vitam largiatur priori.

Verum hoc unum forsitan tibi adhuc obstare videbitur, vt, si hanc
 sequereris interpretationem, timendum tibi esset, ne concedere te oportet
 quod Paulus hunc ἐσχάτον ἄδαν, hoc πνεῦμα εἰς σηρανόν, priori
 ἄδαν ψυχικῷ καὶ χοικῷ a Deo inspiratum, non prorsus liberum ab omni
 compositione et materia credidisset, si cum stamine grani sive semenis
 alicuius, quod, putrefacto corpore crasso, - in nouam plantam pullulet,
 comparare voluerit; quum tamen satis constet, quod anima rationalis
 hominum sit spiritus simplex atque ens ab omni materia purum ac secre-
 tum. e. s. p. At vero tu admodum confundis δογματα Philosopho-
 rum (*) nostri aeuī de natura spiritus s. animae rationalis hominis, cōm
 iis, quae placuere hominibus antiquiorum temporum. Πνεῦμα, πνεῦμα,
 spiritus, his omnibus in genere est, quidquid oculis sentiri non potest,
 et quod liberum quidem est a materia firma et crassa, non autē ab omni,
 etiam subtilissima; atque πνεῦμα hominis in specie, ipsis est *primum*
 vitae

(*) Tametsi ne hi quidem ipsi inter se consentiant omnes; nam nostro etiam
 aeuō e. g. Hobbesium (Leviathan. append. c. III, p. 360,) it. Priesleyum,
 alios, legimus ipsum adeo Deum subtilissima quadam materia vestire.



vitae (nam distinguunt ψΕΨ, Ψυχην, animam, a spiritu,) principium, cuius vi corpus externum animetur, moueatur, concitetur, (Paulo nostro, πνευμα quod ζωοποιει,) quod vero, etsi inuisibile sit et in sensu non cadat, haud tamen omnino purum et ab omni subtiliori materia liberum euadat. Talis ergo spiritus ab Apostolo in loco nostro facile in rem suam comparari poterat cum inuisibili flamine grani seu seminis; et de tali spiritu etiam apte dici poterat, quod in resurrectione mortuorum nouus homo, ceu planta noua ex semine, processurus sit.

Caeterum, per se nunc plana sunt et perspicua quae adhuc sequuntur in segmento a nobis, ut speramus, satis explicato, et in quibus concludit Apostolus argumentationem suam hisce verbis: "Οιος δοχοῖκος, τοιωτοὶ καὶ οἱ χοῖκοι" καὶ διος δέπερανιος. τοιωτοὶ καὶ οἱ δέπερανιοι καὶ μαθὼς ἐφορεγόμεν την εἰκονα της χοῖκης, φορεγόμεν καὶ την εἰκονα της ἐπερανίας. Τουτο δὲ φημι, ἀδελφοι, διτι σαρξ καὶ αἷμα βασιλειαν θεος κληρονομησαι ἵνα δύνανται, ὅπερ η φθορα την αφθαρσιαν κληρονομει.

